



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

§. 50. Versio Concilii Anastasio Auctore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

qui effugerant, sociorum mortem haud dubie ulturos, pertinuissent.

Sæculum IX.

A.C. 870.

Tandem postquam Papa & Imperator datis literis effecissent, ut libertati restituerentur, Romam pervenerunt vigesima secunda Decembris eodem anno octingentesimo septuagesimo, Indictione quarta. Libelli quoque abjuratōnis, quos adhucdum Constantinopoli existentes Suppōrimo & Anastasio Ludovici Imperatoris Legatis commiserant, feliciter Romam delati sunt cum exemplari descripto Actorum Concilii, quod, factum provide, Anastasii solertiæ debemus.

§. L.

*Versio Concilii Anastasio Auctore.*

Pontifex Acta Concilii descripta, non sine magno lætitiæ sensu accepta, Anastasium in latinum vertere jubet. Qui subiit imperium, vertitque de verbo ad verbum, quantum diversitas linguarum permittebat; quin sæpe plus iusto phrasēs græcas retinuit, a genio latii divergentes. Addidit in margine adnotationes, in quibus mores Græcorum exponit, vel quædam facta, Romæ vel Constantinopoli sibi comperta, refert. In *to. 8. Conc.* fronte Versionis conspicitur Præfatio in *p. 961.* forma Epistolæ ad Hadrianum Papam directæ, in qua historiam Schismatis Photiani

tiani

Sæculum IX. tiani, celebrati Concilii modum, & de  
 A. C. 870. mandata sibi Versionis occasionem re-  
 fert. Et subjungit: *Si forsan posteriore tempore in Concilii hujus Exemplaribus Græcis aliqua addita vel mutata fuerint, omnes noverint, nihil aliud fuisse definitum, præter illa, quæ in Exemplari Græco in Tabulis Ecclesiæ Romanæ conservato, & optima fide in latinum sermonem translato, leguntur.*

Hujus admonitionis deinde rationem reddens, narrat historiam Conversionis Bulgarorum, Colloquium eorum causa habitum, & dicit; suspicandi locum esse, Græcos aliquid Concilii Actis adjecturos, quo ignaris persuadeant, fuisse in ipsa Synodo definitum, ut Bulgari Sedi Constantinopolitanæ essent subjecti: *Quippe ejusmodi molimina, inquit, Græcis sunt familiaria. Ita in Concilio secundo contra Canones Concilii Niceni Sedi Constantinopolitanæ privilegia contulerunt. Concilio tertio aliquos Canones tribuunt, qui in vetustissimis exemplaribus latinis non leguntur. Adjecerunt alios Concilio quarto de privilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quos ut reciperet S. Leo Papa nunquam adduci potuit. Præterea non paucos Canones ostendunt, plerosque antiquæ Traditioni adversantes, quos falso sextæ Synodo adscribunt. Tandem in Synodo septima*

*ptima de Hadriani † Papæ Epistola illa, quæ ad Ordinationem Tarasi, & generatim ad Neophytos spectant, expungunt. (\*)*

Sæculum IX.

A. C. 870.

† nomine  
primi

Nullibi alias nisi in hac versione latina Anastasii octavæ Synodi Acta integra habemus; nam Acta græce typis edita compendium solummodo exhibent, cum iudicii laude digestum, sed in quo multa, in Authentico contenta, desiderantur.

## §. LI.

*Photii Epistolæ adversus Concilium.*

Inter hæc Photius non modo non resipiscebat, sed datis ad amicos literis Concilium palam contemnebat. In Epistola scripta Monacho, cui nomen Theodosius, loquitur in hunc modum: *Cur adeo mireris, homines profanos cætui illustrissimorum Præsulum præesse? damnatos eo usque insolescere, ut in alios iudicium ferre præsumant? innocuos in conspectum impiorum adduci, circumstantibus armatis, ne os ad defensionem innocentiae aperire audeant? nam exempla utique antiqua & nova suppetunt.* *An-*  
*nas,*

Ep. 117.

(\*) His addere potuisset Anastasius, quod in Concilio VIII. ex Epistola Hadriani Papæ omnia ad laudem Ludovici Imperatoris pertinentia græca fide delevissent. Sup. N. XLVI.